

12. 11.
DISPUTATIO PHYSICA
De
F O R M A R U M
O R I G I N E
Quam

DEO ALTISSIMO AUSPICE

In Regia Academia CHRISTINÆ, cum suffragio &
consensu venerande & amplissima Facultatis Philosophicæ,

Magnifico Rectore

Reverendo & Præcellentiss. Viro

DN. M. MARTINO STODIO,
LINGVARUM PROFESS. DIGNISSIMO.

Spectabiliq; Decano,

Clariss. & Consultiss. Viro,

DN. M. MICHAEL O. VVEXIONIO,
Polit. & Hist. Professore celeberrimo,

SUB PRÆSIDIO

Reverendi & Clarissimi Viri,

DN. M. GEORGII ALANI
Phys. & Botan. Profess. dignissimi, Præceptoris, Fautoris
& Promotoris sui reverenter colendi,

Pro laureâ Magisterij consequendâ, placidæ
disquisitioni submittit,

MICHAEL JACOBI JURVELIUS
BOTH. Acad. Not.

Ad diem Febru. Anni 1647.

ILLUSTRISSIMO ET GENEROSISSIMO
DOMINO,

DN. PETRO BRAHE/

Comiti in Visingsborg/ Lib. Bar. in Riddboholm &
Lindholm/&c. Serenissimæ Svecorum Reginæ Regniq;
Consiliario & Drotzeto, supremi collegij justitiæ, quod
Stokholmiæ est, Præsidi, Academiæ Aboënsis Can-
cellario, & Judici Provinciali VVestmanniæ,
Montanorum & Dalekarlorum, ordinis li-
terati Meçænati benignissimo, Do-
mino suo Clementissimo,

*Disputationem hanc in quæcunq;
gratitudinis argumentum, Et u-
beriorem sui promovendi spem,
humiliter consecrat Et offert*

M. J. J.

THE S I S I.

Philosophi quibuscumque vixerunt mundi ætatibus, non solum maximè, præter alia, mirati sunt generationem rerum naturalium; verum etiam summò studio in id incubuerunt, ut causam illam formaticem, investigarent. Anxie quidem illi inquisiverunt in formarum originem, propter summam tamen difficultatem non pauci diffisi sunt, se invenire posse, quo animes discendi cupidus satiaretur. Nam, ut Scal. in lib. 1. de plant. ait, ne inter primos quidem Philosophos satis constat, quis sit formarum dator, aut unde proficiuntur. In hoc con-
ferte, ut Sennerti verbis utar, iij Divinæ potentie, sapientie & bonitatis thessuri absconditi l. tent, quos nemo hominius unquam eruet.

II. Quibus autem de veritate invenienda spes esset, opinionum dissensione ab invicem disreparunt.

III. Scholastici, omnes ferè, alias haud quaquam paupertini ingevi, sed magni nominis viri, Educationem formarum è potentia materiæ propugnarunt.

IV. Sed Albertus M. opinionis hujus difficultates cum animadverteret, afferuit generans semini & virtutem tribuere, quā mediante etiam mortuo generante, semen animam generato tribuat, non à seipso, sed in virtute generantis, teste Senn. Hyp. 4. c. 5.

V. Verum Fernelio Peripatetici humiliter & crasse Philosophari visi sunt. Itaq; formas è cœlo & astris deduxit, contendens eas post variam corporis preparationem & ornatum quasi, naturali & inevitabili necessitate in materiam immigrare. l. 1. de nat: re, cau. c. 7.

VI. Tandem est hæc quæstio devoluta ad cathedras Theologorum, & multis ultrò citrōq; de èa ab illis etiam disputatum; His inductionem, alijs Traductionem formarum propugnantibus.

VII. Forsitan itaq; nihil attinuit fieri disquisitionem de intricata & tam controversa quæstione, præcipue ab eo, qui & ingenio & arte parum valeret. Sed trahit ad se animos sinceros veritas, ut rerum nulla sit, quam a- quæ diligat, etiam ubi inventu difficultis est.

VIII. Jam quidem de formarum essentia solliciti non sumus². Originem earum sumplimus indagandum, probaturi, per Traducem formas propagari.

IX. Ut verò eo commodiùs propositæ assertionis veritas inveniatur, imprimis explicandi veniunt termini, & ab ambiguitate liberandi; Cum Zabar, judice, nomen sit sèpe in usu primum intelligendi principium. Et deinceps ostendendum, quid in questionem nostram veniat, quid non...

X. Circa Homonymiam itaq; vocis Formæ notamus, disquisitionis nostræ non esse formas accidentales (nedum externas & artificiales) Ille enim substantialium form. saltem imagines sunt & umbrae quasi. Et quicquid illæ agunt & sese multiplicant, harum vi agunt & multiplicantur. Sen. Hyp. 4, c. 6.

XI. Nos autem originem investigabimus formæ substantialis³. Quæ Divinum quidpiam est, bonum & ex-petendum, docente Arist. I. Phys. t. 21. Hac enim facit ut simus, quod bonum est & ex-petendum, cum melius sit esse, quam non esse: eademq; facit ut res perpetuentur, id quod est Divinum. Mag. I. t. c. 2.

XII. Vox Traducis secundum primam quidem impositionem, significat surculum seu partem, quæ ab una

arbore secta in aliam traducitur. Cujus trutio unita, etiam si sit alterius speciei, proprios tamen fert fructus. Hinc translate quamvis propagationem denotat, quia nova forma, specie quidem cum priori eadem, numero vero diversa producitur. Ita a nobis quoque impraesentia ruit accipitum.

XIII. Insuper cum duo sint rerum naturalium, & in specie formarum principia; *Originis* nimirum illarum *prima* seu *creationis*, & *duratio*ne seu *generationis*. Nos prius principij genus jam non consideramus. Sic enim formas quasvis ad Deum immediate originem referre certum est. Ut enim creatorum materia, ita formae primi non nisi virtute Dei creativae, cum & in rebus naturalibus productae sunt, non ex Elementorum materia ortae, ut nonnullis visum.

XIV. Quia autem in Generationis, non Creationis via versamur, ideo noster modus discursus erit, de naturali formarum propagatione (unde sive hodie proveniant in generationibus Physicis) quae absoluto creationis opere incœpit, & vi benedictionis Divinæ, quoad Deo placuerit, durat.

XV. Rerum deinceps creatarum quoad continuationem non eadem ratio est. Quædam quales in principio creatæ sunt, manent, salvæ & integræ essentiæ. Quædam secundum species continuantur, individuali subinde generationis & corruptionis vices subeuntibus. Harum, non illarum formas traduci assertim, rem omnem includentes sequenti thesi.

XVI. Formæ substantiales rerum corruptibilium, quæ tamen Deus se multiplicare vi benedictionis voluit, propagantur & producuntur a formis generantium simillimum species.

XVII. Hæc thesis incommodè tractabitur, nisi pri-
nis compertum sit, siantne formæ, nec ne? Negant sanc
tas fieri *Toletus*, *Conimbricenses*, *Ruvio* & alij *Interpretes*,
secundum quos nihil fit, nisi compositum.

XVIII. Multiplicari eas & fieri, multis probati
posset rationibus, nobis hæc sufficiet: Quicquid habet ini-
tium, eo ipso quo esse incipit, sit. Formæ habent initium. E. Eo ipso quo
esse incipiunt, sunt. Major prob. Quia impossibile est in-
cipere esse & non fieri. Minor: Quia alias non fieret
generatio, cuius finis forma est.

XIX. Nec verum est quod regerunt, sola compo-
sita fieri. Nam quod jam est, quod antea non fuit, me-
ritò factum esse dicitur, sive sit ens incompletum, sive
completum & compositum. Atq; ita ut aliquid fiat,
sufficit esse quodlibet.

XX. Tandem itaq; ut positionem nostram pro-
bemus, ita cum Scharfio argumentamur: Quicquid gene-
rat & propagat se secundum speciem suam, id per suam formam specificam
generat, adeoq; forma est primaria causa in generatione speciei. At res na-
turales in generationibus naturilibus generant & propagant se secundum
species suas. E. Res naturales in suis generationibus naturalibus gene-
rare per formam suam specificam, adeoq; forma est primaria causa in geno-
ratione speciei.

XXI. Major propositio difficultatem non habet.
Formæ enim proprium munus est, speciem constituere,
distingvere eandem ab alijs, & operationes proprias exer-
gere. Qui generat operatur, dat esse & distingvit, nam
alia forma, alia materia. E. Performam hæc omnia.

Minor expressa Dei vox est, Dixit n. *Germi-*
net terra germen, herbam producentem semen, arbo-
rem fructiferam, facientem fructum juxta speciem
suum, cui insit semen suum super terram. Item be-
nedixit Deus piscibus: crescite & multiplicamini &
re-

replete aquas, & volatile multiplicet sese in terras;
Benedixit Deus hominibus: Crescite & multiplica-
mini & replete terram. Deinde

XXII. Qui quid in specie sibi simile producit, etiam pro-
ducit formam specificam illius speciei; Cum sine forma spe-
cies nulla sit in corporibus. Atque forma specifica in gene-
rationibus Physicis producit in specie sibi simile, ut modo pro-
batum. *E.* Forma specifica in generationibus Physicis produ-
cit formam sua speciei. Ita forma fit per formæ multi-
plicationem, & à forma specifica.

XXIII. Porro argumentamur: Quicquid alicui com-
municat essentiam, communica et etiam formam; quia imprimis
rei essentia absolvitur. Omne generans sibi simile, communi-
cat genito essentiam; alias genitum non esset ei secundum
essentiam simile, nec daretur illa generatio univoca.
E. Omne generans sibi simile, communica et genito formam.

XXIV. Illud a. ut fiat, subjecto opus habent for-
mæ, in quo inhærent, & per quod generans generato-
det formam, quæ novum individuum constituere pos-
sit. Illud autem subjectum seu medium nihil aliud est
quam semen, vel quoddam semini analogum.

XXV. Si enī hoc ut commodum formæ vehicu-
lum sit, benè dispositum, non divisim, sed utriusq;
sexus, in quibus is est, conjunctim sumptum, & fœcun-
dum esse eportet.

XXVI. Constat autem duabus substantijs: Mate-
riâ & Formâ, quæ in viventibus anima dicuntur. Illam
in omni semine plantarum, brutorum, & hominis dari
concedunt omnes eruditi: Hanc autem hoc syllogismo
probamus.

XXVII. Ubi dantur animalium operationes, ibi dantur a-

Anima actu. In seminibus dantur animarum operationes. E.
In seminibus dantur anima actu. Major patet: Omne enim quod movet, est actu. Operationes animarum nos ad potentias, potentiae ad essentiam dedicant. Minorem veram esse, tam manifestum est, quam quod manifestissimum. Nam unde seminis ac conceptus vivificatio? Unde partium omnium, que ad vitæ actiones edendas necessariæ sunt, efformatio & miranda fabrica, nisi ab anima? Anima proprium est, e.g. in plantis amissa folia instaurare, & novos surculos ramosq; producere, ergo etiam ex semine & attracta materia corpus plantæ fabricare. Sed quomodo id faciet si in semine non sit actu?

XXVIII. Secundò argumentamur: *Si semen esset inanimatum, nobilis ab ignobiliori produceretur; animatum ab inanimato semine.* At consequens absurdum. Nihil enim agit ultra vires suas, nec quod anima caret, operationes animæ proprias exercere potest. E. Et absurdum antecedens.

XXIX. Hæc quæ de origine formarum in genere dicta sunt, ut clariora fiant, per viventium genera in specie deducemus, præcipue quia propagationis modis inter se discordant.

XXX. In primis autem formas plantarum quod attinet, eas per traducem propagari, mediante semine (animato) præter ea rationum momenta, quæ superius allata sunt, alijs experimentis ostendimus.

XXXI. Primo quidem tali Enthymemate: Semina plantarum à generante se iuncta, aliquamdiu integra manent & vegeta: & si calore solis in convenienti materia foveantur, corpus plantæ formant simile ei, à qua decisa sunt. E. Semina plantarum animata sunt, adeoque per ea forma multiplicantur.

XXXII. Antecedens confirmatur: Semina è longoquo transportata, post annum aut biennum etiam, si terræ convenienti mandentur, vivere incipiunt, radices protrudere, per eas deinceps attrahere alimenta, donec formentur plantæ, specie similes eis quarum semina sunt. Quarum operationum nulla alia causa monstrari potest, quam anima, quæ est in semine, traducta à generante planta, cum semen produceretur, quæ tamen ipsa non modò non adest, sed sæpe dudum emortua emarcuit.

XXXIII. Videtur quidem nonnullis absurdum, semen tritici, e.g. in granario aelu vivere, cum ejus ad sensum motus nullus appareat. Sed absurditas hic nulla est. Nam latens anima in semine otiosa non est, sed fœcundum illud servat & sationi aptum. Dum itaque humectatur & foveatur calore, germinibus animam prodit; emortuum a. non ita.

XXXIV. Tandem notandum, modos propagantis in plantis varios esse. Quædam enim semine propagantur, quædam surculis, quædam utrisque; quædam radicibus, quædam folijs, quædam lacrymâ. Fungi etiam, si eorum decoctum arborum radicibus affundatur, generantur.

XXXV. Hæc eò dicuntur, ut in plantis quæ sponte & sine hominum cultura, absq; manifesto semine illo apparente nascuntur, latitare potius, quam non esse seminis naturam innuamus.

XXXVI. Secundò patet id exinde, quod, ut dictum, multæ plantæ etiam surculis, folijs, &c. sese multiplicent, vi scz. animæ, cum parte plantæ à priore planta avulsa. Qui non vi ejusdem ex semine, plantarum corpora formentur?

XXXVII. Jam de animalium ortu & animalium propagatione agendum. Sciendum a. duo generantia necessaria esse in generationibus animalium perfectorum, uterque scz. sexus, uno seorsim non sufficiente. Suum conferet Symbolum mas, suum foemina, semen scz. efficax & fœcundum, si generatio expectanda.

XXXVIII. Semen illud animatum esse patet ex fœtus conformatione. *Vel enim fœtus formatur à causa semini externa, vel interna.* Non Externâ; quia vis coœtrix, formatrix non per ulla media, sed in suo subiecto manens actiones suas exerit, ne de subiecto in subiectum transit. *E. Internâ.*

XXXIX. Principium illud internum non **L O G O S PLASTIKOS**, nec calor nativus, quia in opere conformatonis per se non agunt, nisi à virtute superiori dirigantur, sed ipsa anima est. Hujus enim proprium opus est conformatio.

XL. Porro: *Si ex ovis avium aves sue speciei, calore ignis vel avis incubantis alienæ speciei excluduntur, sequitur quod anima sit in ovo, ab ave qua id peperit, propagata;* nec enim alia animæ hujus origo monstrari potest. *At verum prius, ut docet experientia.* *E. Et posteriorius.* Id si verum est in oviparis, cur in viviparis non procedet?

XLI. Neque magni momenti est, quod nonnulli hic distingvunt, inter *Conceptum, quod corpus vocant ex semine in utero genitum, cum qualicunque producendi delineatione;* & *Semen, corpus illud spumosum:* Nam ostendere nequeunt, unde conceptum illud fiat animatum, si anima semini non præinexistenter.

XLII. Restat ut de animæ humanæ propagatione etiam

etiam aliquid dicamus, quam per traducem fieri in generere prius asseruimus. Jam probamus.

XLIII. (1.) *Quicquid pertinet ad integratatem naturae humanae essentialem, id propagatur per generationem; alias enim homo hominem non generaret; quod de animali hoc perfectiss. asserendum non est; cum etiam imperficiora generent sibi simile. Verum non solum corpus, sed etiam anima ad integratatem naturae humanae essentialem pertinet. E. Non solum corpus, sed & anima propagatur per generationem.*

XLIV. Qui autem regerunt hominem generare sibi simile, quoties communicat genito naturam habilem ad recipiendam animam, facile refutantur. Materia enim esse specificum non dat nec qui eam dat statim simile sibi producit, nec hominem, nisi quoq; formam derit, sine qua homo non est homo.

XLV. Quidam ad nativitatem & integratam naturam hic configiunt, dicendo hominem sibi simile generare secundum speciem, quatenus homo in lucem prodit, habens essentiam integratam. Sed statim quæstionis hi non observant. De generatione jam disputamus, quæ non in partu fit, sed in momento conceptionis.

XLVI. 2. Aut multiplicat homo sese secundum speciem, aut vana est vox Dei: Crescite seu fætificate & multiplicamini. At vana esse nequit vox Dei. E. Multiplicat sese homo secundum speciem; Et per cōsequens animam proli *communicat*.

XLVII. 3. Nisi propagaretur anima à parentibus, non potest monstrari, quâ ratione peccatum originale in nos derivetur. Hinc argumentum: *Quodcumq; peccato originali obnoxium est & cùl debet, id ab Adamo medijs parentibus trahitur. Atqui anima ab Adamo*

medijs parentibus non trahitur. E. Anima peccato originali non est obnoxia. Conclusio est absurdum, ergo etiam altera præmissarum. Non major, ut patet, E. minor.

XLVIII. Nullum quoq; est suffugium q; quærunt, animam dum dicunt conditam à Deo privatam donis originalibus, in justam poenam. Nam ita Deus vitiositatis animæ author erit. Nec Deus ullius poenæ quæ peccatum est author est, quâ peccatum.

XLIX. 4. Si anima non est à parentibus sed à Deo immediate creata, erit homo partim creatus partim generatus. Atqui non hoc E. nec illud

L. Hæc de formis viventium pro instituti ratione dieta sunt; jam aliquid quoq; dicendum de formis mineralium.

LI. Non defuere qui mineralib⁹ gemmis & lapidibus vitam tribuerunt, quibus quicquid semen in se continet, & agendi vim habet, vivere putabatur. Verum quia hi vitæ nomen nimis latè extendunt, & res diversissimas confundunt, non possumus ab eis non discordare. Aliud enim agere, aliud vivere, aliud natura aliud anima est. Habent mineralia definitas & ordinatas actiones, vitam non habent. Non enim animæ ne vegetantis quidem operationes exerunt.

LII. Habent tamen mineralia formas suas specificas præter elementa. Unde enim in ipsis colores peculiares & aliæ certæ qualitates? Quæ ut in plantis & animalibus, ita & in mineralibus sui domicilij architectæ sunt.

LIII. Inq. cum Sennerto suam cuiusq; mineralis formam, sese vim multiplicandi habere, absurdum esse non existimamus. Sen. de conf. & diss. Ch. pa. m. 232. Faciles quidem conce-
di-

dimus mineralia sata fructus non ferre. In locis tamen quod primitus destinata sunt, quin se multiplicent, nihil prohibet. Jam argumentamur ita:

LIV. Quicquid primum generatur, deinceps immatum reperitur, & temporis progressu maturatur, illius forma est secundum speciem sui multiplicativa. Supradamq; probatum est, formam generari à forma, quæ deinceps conveniens habitaculum sibi fabricatur, illud instaurat, subigit, ut tandem omnibus partibus integrum reddat.

LV. At mineralia generantur, deinceps immaturare reperiuntur & temporis progressu maturantur. Id multis experimentis probatum dant harum rerū Artifices, ut id annotarunt viri docti. Ex quibus constat aurum, argentum, plumbum, &c, statim temporibus renata & maturata, è fodinis semel exhaustis auri, argenti, plumbi, &c, denuò e-
sunt. Quamvis nonnulli non recte sentiant, omnia metalla in prima creatione condita esse.

LVI. Ergo mineralium formæ sunt secundum speciem sui multiplicativæ. Sunt nimis in mineris spiritus, formam architectonicam earum in se continent, qui in terra, quisq; secundum suam speciem producant metalla, lapides & gemmas, ijsq; propria accidentia tribuant. Mineræ autem priusquam solidescant & excoquantur, nō ablurdum videtur, quod iterum à se possint spirit⁹ metallicos emittere, qui materiae dispositæ sese insinuant & eam in mineralia convertunt, ut hoc modo perpetuentur metallorum fodinae.

LVII. Censemus itaq; principia quædam semi-naria in mineralibus primitus creata esse, quæ in materiā metallica & lapide scilicet occulto modo conclusa, per totum corpus mineralium disperguntur.

Tantum de hisce. Quæ pro Inductione
& Eductione formarum moventur argumenta,
discursui reservamus.

C O R O L L A R I A.

I. An semen sit excrementum? Neg.


Nam semen à facultate coctrice in testibus generatur, non inde tantum, ut excernatur, sicut alia excrements, sed ideo & in hunc finem, ut per id novum individuum generetur, & ita species conservetur.

II. An detur generatio æquivoca? Neg.

Quamvis enim generatio genus analogum sit, & magis evidens tò univocum in non spontanea generatione, quam in spontanea, tamen spontaneam viventium generationem esse suo modo univocam, negandum non est.

III. An viri lac habeant? Neg.

Quia viri organo lacticis carent, glandulis & venis lactiferis.



Venerabili & Ornatisimo,

DN. MICHAELI IURVELIO
Regiae Aboënsis Acad. Consistorji Notario maxi-
mè industrio, amico dilecto, de Formarum Origine
pro gradu in Philosophia summo scienter & so-
llerter publicè disputanti.

IN medium prodis Michaël certamen amandę,
Detrectas minimè, resq' timore caret.

*L*aus equidem est ampla in magnis voluisse, solemus
Dicere: Velle tibi est, perfidis egregie.

Re-

Rerum quid formæ est, unde hæc, sat differis apte,
Immostatuis quod, ratione probas.


Est veterum inventis pulchrum, placitisq; Sophorum
Contentum esse, scies n̄ meliora nova...

Ardua rimanda his certè quæis gloria cordi,
Ardua per præceps gloria vadit iter.

Tu ne siste gradum, sed contrà audentior ito,
Et Deus auxilio, sponte vocatus erit.

Amoris & favoris ergo L. M:q;

ÆSCHILLUS PETRÆUS D.



In Disputationem Gradualem,
Præstantissimi atq; Literatissimi Viri;

Dominico Michaelis Jacobi Both-
NIENSIS, Academiæ, quæ Aboæ est, No-
tarij fidelissimi & maximè industrij,

EPIGRAMMA.

Excellunt quantum naturæ corpora formæ,
Tantum alijs rerum à studijs ea cura recessit:
Corpora mundana informent ut singula formæ,
Illarum cunctis sic alta peritia scitis.

Hæc superare viâ magna &c miranda Michäl mi-
Professos te alios monstras, dum quæ scaturigo
Rerum cunctarum, formarum & prima propago
Ostendis quæ sit, tu declaras quoq; ritè.
Hinc merito dignus palmâ tituloq; Magistri,
Atq; comas laurus nunc celso cingethonore.

Honoris & infucati amoris ergo

SIMONE KEXLERO Mathem.
P. P. adpositum,

Viro Venerando & Doctissimo,
Dn. MICHAELI JURVELIO,
Regiae Academie Aboensis Notario Publico, & Phil.
Candidato optimè merito, pro gradu M. g. s. eruditè dis-
putanti, amico meo plurimum honorando, Syn-
cero affectu gratulabar.

Gloria Virtutis comes est Fortuna laboris
Affidui, tribuens proemia pulchra probis.
Tunc assiduum veræ Virtutis alumnū,
Debita ceu merces, nunc comitatur honor.
Gratulor. Hunc, fautor, felici sydere scandas:
Fortunent nisus fata benigna tuos.

L. M. q;

SIMON C. ANGLENIUS
A. D.

Dñe sine mirari cœli, terraq; mariq;
Interpres genij rerum, miracula & ortus.
Est in te quod ames; cuius mirabere causas.
Turpe homini est propriæ non nosse exordia partis.
Scilicet in rebus curiosis ante omnia sumus
Exoticis. Certè dignum capis argumentum,
JURVELI, meritas ut vitor olympicus ultim
Tu capies frondes. Sudatis premia curis
Donat Apollo tuis largè; quibus uteze felix.

Hec occupatus, honeribus Dn. Sympatriotæ
addidit.

ANDREAS A. ULISTADIUS Böthn.

OS(0)SC